



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Evstochivm Virgo. 22. [i.a. 2.] Novembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

illos, si modò velint, rebus suis abundè
 posse consulere, ore suo orare, manu suâ
 avertere iram Numinis posse, hos verò,
 ut qui manu orarent, utique auxiliari
 alterius egere. Contrà contendebat Ber-
 trandus tam hos suæ salutis, quàm alte-
 ros illos, ni à precipitio abducerentur,
 interitus certos esse. itaque gravius pe-
 riclitantibus succurrendum. Et persti-
 tisset in hâc sententiâ, nisi ex purganti
 igne anima una omnium legatione
 functa, terrore suo sub nocte insequen-
 tem patrocinium suum, & sociarum ita
 persuasisset, ut jam nemo alius pro his
 ad aram frequentius Bertrando oraret.
 Et profectò si sapimus vicina incendia
 & nobis quoque jam jam impendentia
 communi operâ sopimus, hoc est, cili-
 cio opprimimus, precibus avertimus,
 flagris fugamus, gemitibus difflamus,
 oculorumque imbre extinguimus vin-
 dices ignes. Quin quisquis fila manu
 tenes, & globos *Virgini* sacros, tenere
 te funem puta, quo ex inferno carcere
 ascendere hodie ad cælum animas facias.

S. EVSTOCHIVM VIRGO.

22. Novembris.

Fuit EVSTOCHIVM nobilissima &
 D. Hieronymo laudatissima matro-
 nâ filia, ejusdemque virtutis ex asse he-
 res. Degebat illa sub patris Hymetii
 tutelâ, certa nulli nisi Agno nubere,
 Q9 cam-

eamque ob rem animi potius mundo,
 quam corporis studens, & hoc pul-
 chrior, quò negligentior fui. At Hyme-
 tius alia omnia animo volvès, ut quam
 pulcherrimè posset ornatam virginem
 ad nuptias nobilissimis juvenibus ven-
 ditaret, eam curam conjugii Prætextatæ
 demandat. Hæc igitur EVSTOCHIO
 vestes induere ad elegantiam seculi fa-
 ctas, faciem fūco tingere, frontem &
 aures gemmis pingere, crines ferro &
 igne fingere, denique totam ad laci-
 vam venustatem componere. Sed in-
 tam pulchrâ EVSTOCHIO nihil jam
 celo placuit, præter lacrimas, quibus
 naufragium timens virginitas quoti-
 die innatabat. Periclitanti tamen suc-
 currit Angelus bonus & in somnis ad
 Prætextatam, nimirum ait, egregia
 gnati sanguinis lena mundo concubina
 DEO desponsam? DEVM nauseas ge-
 nerum habere, terra filium quaris? ex
 fronte virginis palæstram Veneris facis? ex
 oculis Cupidini muscipulas struis? ex ce-
 pillis laqueos nectis amantibus? At non
 impune hac facies. Iam enim ut abstinenti-
 à lenocinijs manus discant, arescet ma-
 nus: Iam domum Christus EVSTO-
 CHIVM, te orcus ducet; si porro neptem
 DEO invides, certe morti conjugem lu-
 berosq; non eripies. Atque hæc omnia
 Superi! quid ad nostræ elegantiam
 atatis

etatis dicitis; quando puellæ viros induunt, & (quod turpius longè est) calamistrati viri (phui) in puellas degenerant. S. Hieron.

S. WENEFRIDA V. M.

3. Novembris.

WENEFRIDAM nobilem è Britannia Nympham CHRISTO Benuocus vir famâ sanctimonix id ætatis longè maximâ despondit. Nec abnuebant parentes in tam amplas spes filiam dare, sed obstabat Cadocus Regis Alani filius, ausus castissimam & cælo datam fidem tentare, cum sola virgo domi ageret. Illa verecundata aliquandiu tam inornatam se deprehensam, in cubiculum abiit velut mundum inde muliebrem petitura, reverà ad asylon (templum) properatura. At Amor tam magnus tyrannus quàm parvus puer pingitur, alas Cadoco insequenti suas præbuit. Hic prehensam virginem & reluctantem ense obruncat. Et ecce & virtutis & sceleris præmia! Ad sanguinis fontem fons alter aquæ limpidissimus exsiliit, suasque undas ita etiam hodie sociat, ut tamen ripam sanguine castissimo pictam nunquam abluat, muscusque odorem virtutis semper spiret. Porro Benuocus martyris caput ad latronem asportavit, ut

Q 9 2 in